



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XVI. SS. crux Christi columna nubis & ignis, ducens nos  
securè ad cælestem patriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Apoc. 5. 6.

tem & occisum vidit: *Et vidi: Et ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio Seniorum unum stantem tanquam occisum.* Ad quid, quaeso, S. Joannes hic Agnum Dei occisum & simul stantem inducit? Si Agnus occisus est, quomodo stabat in caelo?


Andr. Cæs.  
apud Cornel.  
hic.

R. Andreas Cæsar. *Quod hic Agnus similis occiso videbatur, quia resurgens servavit quinque vulnerum, quibus occisus est, cicatrices.* Quod autem stans observatus fuerit, resurrectionem ad vitam immortalem indicat, & prout Ansbertus habet: *ad opitulandum;* unde rectè D. Augustinus:

S. August. in  
quæst. novi  
testamenti  
quæst. 83.

*Christus inquit, stat coram throno Dei, quasi Advocatus noster, pro nobis interpellans;* Et idèd cum S. Stephanus lapidatus est, stans à dextris virtutis Dei observatus est, quia sedere judicantis, stare autem adjuvantis est.

Hæc cum ita sint, quod Agnus in Calvario quondam monte occisus etiamnum in caelo apud Patrem suum pro nobis interpellat, ac SS. Vulnera sua pro nobis offerat, quæ sunt medium & remedium efficacissimum ad impetrandum à DEO, quidquid æternæ nostræ salutis erit proficuum; quid ergo agimus, quod extra hæc SS. Vulnera aliquid aliud in his terris quaeramus? Dicamus proinde quotidie cum S. Franc. Xaverio: *Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, qua tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*



## CONSIDERATIO XVI.

SS. Crux Christi columna nubis & ignis,  
ducens nos ad cœlestem patriam.

*Non defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. Exod. 13. 22.*

I.

**P**Lura quondam ac quàm maxima DEUS T. O. M. populo suo electo præstitit beneficia, dum eos per mare rubrum sicco pede traduxit, per quadraginta annos in deserto arido & sterili cibo cœlesti, puta manna, aluit, aqua è durissima petra scaturiente potavit, vestimenta eorum incorrupta servavit, imò fecit,

fecit, ut vestes cum pueris crescerent, ab incurſu hoſtili & iniuria aëris defendit, & ducem inſuper aſſignavit videlicet columnam nubis & ignis, quæ tribus illis hominum millionibus non tantum præiret, ſed & per varias viarum ambages tandem in Palestinam, terramque lacte & melle manantem ſecurè introduceret: *Dominus autem præceſſit eos* Exod. 13. 21. *ad oſtendam viam per diem in columna nubis, ut dux eſſet itineris utroque tempore.*

Per hanc prodigioſam columnam, Hebræis quondam per 40. annorum ſpatium præcedentem, eosque ad deſideratam terram ducentem S. Hieronymus crucem Dominicam ſubaudit: *Crux Chriſti*, inquit, S. Hieron. in ſal. 95. *humani generis columna eſt*; per ducem verò, qui hanc regebat columnam, & per eam populum electum ab omni defendebat hoſtili incurſu, alii S. Michaelẽ antiquæ Synagogæ deſenſorem, nos autem Chriſtum & hunc crucifixum intelligimus, qui quæ homo, ut columna nubis nos protegit, & quæ DEUS, ut columna ignis, nos illuminat. O felices nos! ſi hunc ducem ſequamur, & ſemper ante oculos noſtros hunc crucifixum amorem noſtrum ac Dominum habeamus: *Semper*, S. Chryſoſt. ſerm. de Joſeph. *crucem habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis: nam ſicut columna nubis, figura noſtra crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur; ita crux ante oculos viſa omnem ſtatim abigit malam voluptatem &c.* Proinde ſedulò laborandum, ut ei firmiter adhæreamus, ejusque ductum in omnibus ſequamur, quia *per crucem ad lucem.*

2. Et hoc eſt, ad quod alluſit Sapiens; ubi plura enarravit de vera primorum & antiquorum Patrum ſapientia, & quomodo DEUS per contemptibile lignum, hoc eſt, per arcam Noëmicam, (crucis figuram) mundum ſalvarit: *Cùm aqua deleſet terram, ſanavit iterum Sapien-* Sap. 10. 4. *tia per contemptibile lignum juſtum gubernans.* Deſcendit etiam ad columnam nubis & ignis, quæ populum electum ad terram deſiderabilem mirabiliter deduxit, atque per omnem viam concomitata eſt: *Et deduxit* Sap. 10. 17. *illos in via mirabili, & ſuit illis in velamento diei. & in luce ſtellarum per noctem.* Erat autem hæc columna per diem opaca nubes, ut ab æſtu ſolis in illis calidis regionibus Hebræos protegeret; de nocte ſplendebat ut ignis, ut per omnia illorum caſtra ſufficiens in tenebris præberet lumen, unde lucebat ut luna & ſtellarum congeries. Agnoſce ex hoc, anime mi, mirabilem SS. Crucis effectum, jam tunc in umbra præſignatum, crux enim eſt noſtra columna nubis & ignis: *Duxque comesque via.* Conſidera Electos omnes, ex hoc vitæ deſerto per varios labores, tentationes, inſidias, ærumnas, morbos, pericula & martyria ad

terram viventium & ad cœlum transeuntes, cujus itineris non alium habebant ducem, quam crucem.

Bagatta Tom.  
2. lib. 5. c. 1.  
Thom. Boz.  
de Signis Ec-  
clesiæ lib. 17.  
cap. 7.

3. Alphonsum Portugalliæ Regem consulamus. Cùm anno Domini 1112. contra quinque Maurorum Reges pugnaturus in campum descendisset, & jam jam in agro Auriquio ultra Tagum in conspectu hostium castra Christiana locasset, intuens de longè infinitam propemodùm infidelium multitudinem, ex omni parte illius regionis sibi ad prælium obviantem, in maximam animi devenit tristitiam. Initur quantocyùs, in quantum temporis patiebantur angustia, à belli Ducibus consilium, pluresque concludunt, temerarium prorsus esse cum tam immensâ Barbarorum multitudine inire certamen, cùm proprii milites essent defatigati, laboribus fracti, & tot hostium phalangi- bus omninò impares. Quid in hac re desperata agit Rex Alphonsus? Ad Christum JESUM & hunc Crucifixum, tanquam ad ultimum calamitatis suæ asylum se recipit & confugit, qui in splendidissima nubis columna versùs Orientem in cruce longa extensus illi de nocte apparuit, planèque jussit, ut forti animo in aciem descenderet, fore, ut Saracenorum copias feliciter devinceret, & insignem ab eis reportaret victoriæ plamam: *Confide Alphonse (erant verba Christi crucifixi) confide, non solum enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos crucis pugnaveris: volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur nomen meum in exterarum gentes, & ut agnoscant Successores tui datorem regni, insigne tuum, ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo à Judais emptus sum, compones: & erit mihi regnum sanctificatum, fide purum & pietate dilectum.* Quibus dictis Crucifixus ille in auras disparuit; Alphonsus autem mox orto die plenus fiduciâ exercitum suum colligit, & in hoc signo SS. Crucis ac quinque SS. Vulnerum cum Mauris dimicans, non duntaxat gloriosam ab eis obtinuit victoriam, sed & fidem, crucemque Christi in illis Barbarorum regionibus invexit. Et ut posteri sui que regni Successores perpetuam hujus rei haberent memoriam, sancivit, ut imposterum Reges Portugalliæ pro suo insigni semper crucem & quinque Christi Vulnera ferrent: *Ex illo, ait Thomas Bozius, insigne Regibus Portugallensibus fuit quinque Christi plagis ornatum vexillum.*

S. Hieron. in  
Pla. 95.

4. Vides ex his enarratis, Christiane Lector! quòd in veritate *Crux Christi juxta S. Hieronymum, sit summa totius generis humani columna, ac solidum fundamentum, cui innititur Ecclesia, & in quo hæctenus omnes hostes suos gloriosè vicit ac debellavit.* Hanc, inquam, mysticam nubis & ignis columnam etiam tuis quotidie præfige actionibus, hanc cum populo electo sequere, & à salutis tramite non aberrabis. Ita ipse Christus in forma & specie Crucifixi apparens, Beatæ Ange-

Angelæ Fulginati explicuit, iussitque, ut in plagas suas grato ac devoto animo sæpius respiceret, hoc enim quàm maximè præ cæteris bonis operibus sibi gratum & acceptum esse: *Quicumque*, subjungebat Crucifixus, *vult invenire gratiam, non levet oculos à cruce.*

Hadri. Lyr. de Christo Pat. lib. 5. cap. 8.

5. Nec absimile illud est, si non mirabilius, quod de Venerabili Elisabetha Wansia refert Hadrianus Lyræus. Hæc genere nobilis, sed virtute ac pietate in Christum patientem longè nobilior tanto crucifixum Redemptorem suum amore profecuta est, ut semper illum ante oculos mentis & corporis haberet, & nunquam è memoria eum dimitteret, quæ vicissim meruit, ut neque à crucifixo Domino suo dimitteretur, siquidem per tres annos integros, quocumque hæc devotissima Elisabetha se contulit, semper crucifixus Salvator eam in itinere comitetus est, nec unquam ab illius conspectu discessit, cujus ope omnes tentationes & difficultates superavit, & vitam felici morte terminavit. Tanti refert Crucifixum sincerè amare & meditari.

Hadriam. Lyr. loc. cit.

6. De S. Eusebia Virgine recenset Bollandus, quòd post felicissimum ejus obitum sudo cœlo & in ipsa meridie crux quædam, tanquam lucidissima columna, quæ circumquaque coronâ ex stellis contextâ cingebatur, coram ingenti hominum multitudine apparuerit, & eandem Sacram Virginem usque ad sepulchrum comitata sit.

Bolland. 24. Januar.

De S. Francisco geraphico narrat Lucas Wadingus, quòd, cum aliquando ex urbe Castelli ad ædem S. Mariæ Angelorum cum Socio F. Leone iter faceret, crux aurea & fulgidissima ad instar columnæ ignitæ illum præcesserit, quæ coram stante simul stetit, & cum ambulante ulterius se movit, donec tandem hunc Virum Dei ad locum destinatum feliciter perduxerit.

Luc. Wading. in Annalib. ad annum 1224.

His accenseo Neaniam, qui, cum sub Diocletiano Imp. Christianos, velut alter Saulus, persequeretur, non procul Apaneâ in aëre crucem crystallo perlucido similem conspicatus est, de qua hæc vox egrediebatur: *Ego sum Jesus crucifixus Dei Filius, in hoc signo, quod tibi apparuit, vince hostes, & pax mea erit tecum.* Ad quod Neanias, nunc in Paulum mutatus, & divino gaudio repletus, se promptum ad omnem divinam obtulit exequendam voluntatem; unde Christianus effectus & sacro fonte initiatus, paulò post illustri martyrio coronatus, vitæ cursum pro Christo crucifixo consummavit.

Sur. Tom. 4. & Bagatta Tom. 2. l. 5. c. l. n. 36.

Anime mi, sequamur & nos Imperatorem nostrum, in columna S. Crucis (dum Crucifixum aspiciamus) quotidie nos præcedentem. Dux hic noster est, qui primus cruce oneratus, in pulvere gradum posuit, & vestigia impressa nobis reliquit: *Exeamus igitur ad eum extra*

Hebr. 13. 13.

*castra, impropertiam ejus portantes &c.*